

PRÆJUDICIA GR

PRO

JURAMEN

IN N. T

NEQVAQVA

ABSOLUTE PRO

DE QVIBVS

DEO JVVAN

PRÆSIDE

CHRISTIANO EBI

WEISMAN

THEOL. DOCT. & PROF. PVI

ECCLESIAE TVBING. DECANCO

SEMINARII SVPERATTE

AD DIEM

MENS.

A. MDCC

LOCO & HORIS CO

PVBLICE DISSERE

RESPONDENS

M. LVDOVICVS JOSEPHVS

SS. THEOL. STVD. & SERE

TUBINGÆ,

LITERIS CHRISTIANI GODOFR

*infer, si placet, To: Et: 7m: Walchii comentat: qua art
um de jurejurando sententia perentur et dig
ico-Protericas Tomi 1. 31^{ma} est. Tex: 1749.*

GRAVISSIMA
MIENTO

N. T.

QVAM
PROHIBITO,

VIBVS
VANTE

SIDE

EBERHARDO
ANNO,

OF. PVBL. ORDINARIO,
ECANO, & DVCALIS
RATTENDENTE,

M
A. MDCCXLIV.

S CONSVETIS
DISSERET

NDENS

PHVS VH LAND, Tub.
& SEREN. STIPEND.

NGÆ,
GODOFREDI COTTÆ.

qua antiquorum xbianorum docto-
ur et dijudicantur, que inter dogma





§. I.



Sque adeo trita atque ad pulvisculos usque excussa est a longo tempore famigeratissima de *Juramentis in N. T. sive licitis, sive illicitis* controversia, ut vix quidquam dici possit de momentis hujus causæ vel exegeticis, vel dogmaticis, quod non dictum sit prius, & cum cura, pro diversitate principiorum, quæ cum his, tum illis, partibus placuerunt. Est interim hæc quæstio longe gravissima ex variis rationibus. Sacrosanctum Dei nomen singularibus titulis versatur in hac causa, idque pars utraque a se invicem dissentiens in cultu & honore habendum agnoscit lubens. Numerus eorum, qui, nostra maxime ætate, illicita Christianis esse juramenta quævis, sibi penitus persuadent, crescit non tantum apud singulos, sed etiam integras Societates complectitur. Sæpius inde turbæ in Republica oriuntur, si una pars subditorum obligationi jurandi se subjicit, altera vero repugnat. Accedit tam frequens & perniciosus juramentorum privatorum publicorumque abusus, ut, cum alia, eaque valida, hos tollendi media vix superesse videantur, ipsius juramenti fugam omnium esse tutissimam existiment plurimi, & quidem ex eorum quoque numero, qui, ceteris paribus, juramentum

non simpliciter improbant. Est autem in primis quam maxime molestum, quod fiducia negantium, (contrario prorsus longe alia expectantibus eventu) ad eum potius gradum adscenderit, ut insultare etiam audeant dissentientibus Theologis, scribendo in *libris novissimis*, patere ex continuata contradictione *horribilem cacitatem, impudentemque audaciam plerorumque Doctorum inter Christianos, qui sine metu & pudore clarissima Christi verba torquere, hereticare, suisque eruditissimis phantasmatibus pervertere audeant*: qualia apud alios quoque Zelotas hujus partis passim reperiuntur convicia. His itaque temporis nostri phænomenis accommodandum est, quicquid de hoc argumento, non pure theoretico, sed vehementer pragmatico, in posterum docere & tradere voverint Theologi: Et nos quoque hujus fiduciæ insultandi ratione habita nostrum controversiæ statum eo dirigemus, quo nos rapit exaggeratissima dissentientium criminatio, ut appareat, longe abesse debere a tanta definiendi licentia, quod tot gravia contra se habet argumenta, aut, si mollissime loqui velimus, dubia, quibus solvendis nullæ certe petitiones principii continuo repetitæ, nulla anticipatio conclusionis tanquam certæ & demonstratæ, nulla denique adhæstonis magis, quam convictionis, certitudo sufficiunt. Nostram igitur quæstionem, quam in his paginis tractandam suscipimus, intra hos maxime limites constringimus. 1. Non quæritur, an juramentum sit in se & natura sua malum ac vitiosum? id enim nec ipsi dissentientes tam crude affirmant. 2. Non quæritur, an simpliciter & absolute sit necessarium jurare? sed an liceat, ceteris paribus? 3. Non quæritur de V. T. sed de N. T. tempore, nim. an in hoc adhuc jurare liceat? 4. Non quæritur, an aliquas rationes plausibiles & speciosas sententia habeat contraria, dignasque, quæ in timore Domini expendantur? neque 5. an cogi quis debeat ad jurandum contra persuasionem conscientiæ suæ? Neque illud 6. quæritur, an etiam probi & religiosi homines ex reverentia nominis divini & literæ Scripturæ, quæ heic ipsorum animum afficit, in eam possint propendere sententiam, atque adeo bona fide & ex principio religionis a communi doctrina dissentire? Non quæritur 7.

an in utu actuali juramentorum multis peccari possit modis, & actu peccetur ipso per malitiam & inscitiam hominum? sed an juramentum ipsum sit in N. T. vitiosum atque Christianis illicitum? Porro & g. non quæritur, an Salvatoris nostri præcepto humiliter sit obediendum, si semel certo constiterit, eum absolute, & sine ulla exceptione aut limitatione, verba sua voluisse intelligi? Sed de eo agitur, an actu hoc constet, idque tam invictis certisque fundamentis possit confirmari, ut nunc omnes, qui dissentiunt, pro petulantibus præcepti Dominici infractoribus sint habendi, qui omnem Dei timorem, omnem erga Dominum J. C. reverentiam, omnem, uno verbo, religionem cum aliqua impudentiæ specie abjecerint? Illi, cum quibus heic agimus, (erunt autem illi ex multis ROB. BARCLAJUS in *Apolog. Theol. Christ.* HERM. SCHYN. in *T. II. Histor. Mennonit.* & ANONYMUS quidam in Germ. Tr. *Kurtzer und gründlicher Beweiß aus der Natur und denen Rechten des neuen Bundes, daß kein wahrer Christ, der nicht unter dem Gesetz, sondern in der Gnade des Evangelii stehet, einen solchen gesformten Eyd, dergleichen heut zu Tag aller Orten aufgetragen wird, unterschreiben könne und dürffe &c.*) hoc posterius affirmant. Nos vero allatis præjudiciis gravibus & religiosis contrarium demonstrabimus, & conscientias seriorum hominum pro juramento in N. T. licito stantium, tam atrocem injuriam non mereri, ostendemus.

§. 2.

Præjudicium primum, idque paulo *generalius*, pro sententia communi & recepta, peti solet ex innocentia juramenti cum in se spectati, tum etiam in ordine ad indolem & statum ipsius N. T. quam si omni ex parte consideremus, ea certe cum necessitate absoluti & universalis interdicti tam valide pugnare videtur, ut vix probabile sit, hanc mentem Salvatori unquam fuisse, cum contra sponte sua quilibet cogitet, rem in se non malam nunquam Dominum esse absolute & sine omni exceptione partis bonæ & innocentis prohibitorum. Ante omnia vero notamus, eos omnes, qui juramentum in N. T. in-

terdictum esse prætendunt, facile tamen concedere, in Veteri Testamento fuisse rem licitam, imo non raro a Deo ipso præceptam, adeoque bonam in se, & sanctissimis quoque illius ævi hominibus non indignam. Quæ hypothesis si vera est, sponte sua inde consequitur, non potuisse Christum Dominum juramentum absolute prohibere, sed saltem, quousque malum fieri potest per abusum, & vitium aliquod ipsi per accidens accrescit. Hoc autem sensu non licere jurare ex interdicto Domini, extra controversiam positum est. Sed illi supponunt verbis Domini sensum absolutæ prohibitionis non abusus tantum, sed usus omnis, quamvis res ipsa non sit mala, & quousque in se mala non est. Dicunt, juramentum in N. T. esse malum, quia prohibitum est: non vero prohibitum, quia malum est. Enimvero falsum hoc est ex ipsius Domini sententia. Is enim ideo prohibet juramentum, quoniam & quousque est *ex τῆ πορνῆα*. *Matth. V. 37.* Sive hanc phrasin simpliciter de malo, sive de *Diabolo* interpretemur, nobis hoc quidem loco perinde est. Quicquid ex malo est, ipsum quoque malum est. Quicquid Diabolum Autorem habet, non potest non esse malum. Quod si quid prohibetur, quia ex malo est, vel ex diabolo Autore est, non ideo tantum malum est, quia prohibetur, sed ideo prohibetur, quia causa ejus prohibitionis antecedenter est in malo & vitio rei. Quis vero dixerit, juramentum omni sensu & sua natura esse ex malo seu diabolo? Certum ergo est, id solum propositum fuisse Domino, damnare in juramento, quod malum & vitiosum in eo est, non vero censuram illius ipsum feriisse juramentum. Qui ceteroquin verba: *ex τῆ πορνῆα*: malunt exponere, de occasione peccandi, quod omnis juramenti necessitas ex malitia & infidelitate hominum orta sit, dicunt quidem aliquid, quod non prorsus abs re est: Sed *Dominum* id hoc loco ante oculos habuisse, ideo credibile non est, quia hæc circumstantia ipsi etiam V. T. communis est cum Novo, unde, si hæc ratio valeret ad abrogationem juramenti ipsius, id semper, atque in omni generis humani periodo, fieri debuisset, non immerito censetur, ac præterea non ideo malum fit jusjurandum & prohibitione dignum, quoniam

quoniam illius præstandi occasio & causa ex aliquo hominum vicio oritur. Hactenus igitur nihil mali in ipso deprehendimus juramento, propter quod illud totum ut sustolleret, necesse habuisset Salvator. Quodsi porro, quid sit juramentum? & quid ad juramenti essentiam spectet? attendamus, videri omnino possit, nihil in ea re esse, quod N. T. genio & officiis esset contrarium, si vitia & abusus demiseris. Substantia juramenti consistit in provocatione ad Deum tanquam testem in professione veritatis necessariæ & arduæ. Quid vero hac in actione mali est, quod Christianum hominem dedecet aut inquinat? Copiosissimæ hujusmodi provocationes ad testimonium Dei in N. T. extant tabulis, ut postea videbimus, unde certum est, per eas nihil admissum esse, quod indolem N. T. violasset. Deum addere judicem & ultorem, severior juramenti gradus est, at ne sic quidem in homine etiam Christiano, Novique Testamenti cive, damnabilis. Quamvis enim hic objiciat SCHYNIUS, *novum Fœdus pro fundamento habere Dei gratiam & misericordiam: at per juramentum absolute nos exposcere in nos Dei iram, pœnamque divinam, si pejeremus. Hist. Menn. plen. deduct. p. 69.* solida tamen non est hæc objectio, in juramento enim hoc saltem sensu & fine in nos iram divinam deposcimus, ut solenniter testemur, nos iram Dei, nobis ipsis fateantibus, merituos, si falsa & illusoria sit nostra vel assertio, vel promissio, dum interim conscii nobis sumus in bona causa, & ipso juramento testamur, nos absolute loquendo nihil hujusmodi habere timendum. Si Christianus hoc faciat, nihil id pugnat cum studio misericordiæ & gratiæ divinæ, quod sibi debet aliisque, imo illo specimine demonstrat, se omnia ea remota cupere, quibus misericordia & gratia, cum ipse, tum alii, indigni fieri, iræque divinæ subjici possent. Observabimus quoque deinceps, dissentientes universos, sive singulos, sive in integris Societatibus juramentum in N. T. illicitum esse credentibus, quam lubentissime hoc temperamentum offerre Magistratibus, ut non jurati quoque velint tamen a Deo & hominibus tractari puniri que tanquam perjuri, si contra officium suum fecerint. Atqui hoc ipsum re ipsa tantumdem

tundem est, ac submittere se in antecessum pœnis divinis & humanis in casu transgressionis, h. e. obsequium suum cum provocacione ad ultionem divinam promittere, i. e. jurare. Ne sic igitur jurare N. T. contrarium est, certe non magis, quam si quis sponte sua se offert ad pœnam perjurii divinam humanamque, utut sine formula consueta. Sed de hoc pluribus verbis postea erit differendum. Urget porro SCHYNIUS, *foedus N. T. exigere ab hominibus plenam & perfectam veracitatem, fidelitatem & amorem, ubi autem hæ virtutes inveniantur, nullum juramentum esse necessarium. loc. cit.* Nos vero regerimus, nimium probare hanc rationem, cum enim easdem virtutes lex divina quovis tempore postulet, sanctique etiam V. T. homines easdem pariter possederint, interdictum juramenti eousque non minus extendi debebat, quod tamen factum non est. Confunditur præterea genius N. T. cum statu N. T. In hoc factum est, ut ipsi etiam Christiani, neglecta N. T. gratia, & Evangelici Spiritus expertes, ne eum quidem gradum virtutis sæpe teneant, quem Veteres fideles sub œconomia sua sunt assecuti, imo pejus adhuc prolabantur. Vivunt igitur plerique sub Novo quidem Testamento, sed non ex N. T. Quid igitur mirum, plus dico, quid ergo iniustitiæ in eo est, si rationes jurandi nunc in N. T. temporibus æque sint necessariae, atque olim fuerunt in ætate Veteris? Imo quid mali in eo est, si veri quoque Christiani, non tam ex personali necessitate, quam ob causas communes totius Societatis, se submittant his legibus, uti in antiquis illis temporibus sancti quoque & pii homines propter bonum & obligationem Societatis non his modo, sed & aliis officiis similibus, iisque longe minoris momenti, sese subjecerunt? Hac parte igitur nulla est inter V. & N. T. differentia. Causa vel occasio juramenti est N. T. genio adversa: sed non inde sequitur, ipsum etiam juramentum indolem N. T. labefactare vel evertere, maxime in eo statu, in quem ipsi etiam Christiani sub N. T. sua culpa inciderunt. Hæc utut diversissima, per totam hanc controversiam miscentur & confunduntur non sine damno veritatis. Imo potius

potius concludendum ex isto discrimine, occasionem prope ordinariam jurandi malam esse posse, nec tamen ipsum juramentum malum esse, cum prius ad morbum, ad medicinam posterius pertineat. Ut taceamus, non esse simpliciter necessarium, ut quævis juramenta ad malam illam originem referamus. Magna pars votorum, quæ sunt species quædam juramenti, ex isto fonte repeti non potest. *Abrahamus* ab *Eleazaro*, ministro suo religioso & fideli, juramentum accipiens non tam diffidebat ejus fidelitati, quam Dei nomen ad eo maiorem reverentiam intervenire voluit. *Gen. XXIV. 2. 3.* Idem quoque dicendum putamus de juramento, quod moribundus *Jacobus* exegit ab *Josepho*, filio. *Gen. XLVII. 29. seqq.* nec non *Josephus* ipse a *filiiis Israël.* *Gen. L. 24. 25.* item de juramento *Davidis*, quo erga Deum ipsum usus est, cum scripsit: *Juravi, & servabo, observaturum judicia justitiæ tuæ. Ps. CXIX. v. 106.* Quæ certe exempla nec ipso N. T. indigna essent, si in eo fierent.

§. 3.

Præjudicium secundum contra fiduciam dissentientium nobis suppeditant gravia illa momenta exegetica, quæ sensum absolutum dictorum principalium, quibus nituntur, e. g. *Matth. V. 33. seqq. Jac. V. 12.* non una ratione dissuadent. Certum est, in duobus his *dictis Scripturæ* totius causæ cardinem versari, ut facile impetrare queamus a summis etiam Zelotis confessionem ingenuam, si his possit satisfieri, absque vi textibus illis illata, in reliquis omnibus transactionem non adeo fore difficilem. Omnis enim vis consistit in *sensu absoluto*: huius necessitate & probabilitate infracta cetera omnia, quæ hic dicuntur a dissentientibus, meris constant petitionibus principii, & omnem nervum suum sine dubio amittunt. Videamus ergo, quid hoc rei sit? Ante omnia in genere certum est, mille exempla extare huiusmodi dictorum, in *Sacris literis*, quæ, utut absolute enuntiata videri possint, has vel illas limitationes non admittunt tantum, sed etiam postulant. Imo vero (quod propius ad causam præsentem spectat) vel in solo *Sermone Domini in monte*, unde & nostra *de juramento pericopa* desumpta est, plurima nobis occurrunt exempla eius ordinis; E. g. quod *Matth. V. 39.* dicitur: *Ego vero dico, ne resistatis malo*: plane contra

mentem *Domini*, imo contra naturam rei intelligeretur, si quis verba illa sine omni limitatione acciperet; inem quæ dixit *Dominus v. 42. Petenti abs te dato, & valentem mutuari abs te ne avertere*; vel prout apud *Lucam c. VII. 30. 35.* efferuntur: *Cuius autem petenti abs te da, & ab eo, qui tollit res tuas, ne repetito. Mutuum date nihil inde sperantes &c.* ita sane comparata sunt, ut ne illi quidem, qui hic dissentiunt, ab omni explicatione limitante abstineant, nedum ii, qui maiorem heic sibi libertatem ex aliis rationibus vindicant. Cum igitur apertum sit, in his quidem *locis* aliisque similibus absque irreverentia erga Salvatorem, imo ex mente illius, posse, imo debere ab absoluto sensu recedi, non est sane absurdum, in æstimando Salvatoris dicto de juramentis, ob rationes plane easdem, nec leviores, eandem observare regulam. *Secundo loco* observamus, præsidium haud infimum sensus absoluti esse in ea *hypothesi exegetica*, quod Christus Dominus sua de juramentis sententia non opiniones quasdam & abusus in populo Judaico circa juramentum inolitos, sed ipsum præceptum legis autoritate legislatoria sustulerit. Et tamen, si verum fateri volumus, ea hypothesis tot contra se habet rationes, ut nobis potius mirari liceat, quod tanto cum applausu a multis lectoribus recepta sit. Non hic amplificabimus rationes generales, quæ alias a *Theologis Protestantibus* mutationi legis Mosaicæ, quasi a Christo Domino factæ, opponuntur, quarum summa est: Ipsam legem V. T. in se continere amorem Dei & proximi, ad quem omnia alia ab intelligentibus vim legis referri queant: ipsa etiam exempla, doctrinas, præcepta, & preces SS. Veteris Testamenti, eam, quoad substantiam religionis, sanctitatem & puritatem præ se ferre, quæ cum plerisque illis defectibus V. T. inproperatis in hypothesis cit, exegetica nequaquam possunt consistere: Christum & Apostolos legem *spiritualem* facere, eamque in exemplum ipsis proponere Christianis: puritatem legis divinæ moralis in se spectatæ non esse cum patientia & longanimitate Dei circa vitia & defectus priscorum temporum confundendam: secuturum, quod lex moralis jam prorsus nihil spectet ad Christianos, ex quo principio olim simile quid *Anabapista* docuerunt de Scriptura V. T. sed ab omnibus refutati: Denique, quid monstri alat illa hypothesis, exinde constare, quod

quod scriptum tandem sit ea duce, legem V. T. non obligasse ad precandam, ad vitandam scortationem, ad abnegationem sui ipsius, ad tolerantiam crucis & similia officia. Quanam autem ista religio, in qua contrarium huic liberum est? Apage cum his nugis! Quicquid vero sit de valore generali illius hypotheseos exegeticæ de *Sermone Domini in monte*, (quam & alii adoptarunt, qui ceteroquin juramenta N. T. non rejiciunt) id ad minimum certum est, quod in hac materia speciali dici jure non possit, quod abusus Judaici circa juramenta censuræ Domini objectum non fuerint. Quamvis enim *v. 33.* ipsius præcepti divini fiat mentio, id tamen non alio sine factum est, quam ut illius occasione deinceps reprehendere possit falsam Judæorum opinionem, cujus *v. 34. seq.* summa recensetur, sc. non esse perjurium, si quis, omisso ipsius Dei nomine *per cælum*, *per Hierosolimam*, *per caput suum* juret, & ostendere, eam legi divinæ nequaquam concordare. Hoc factum non modo ex collato *capite Matthæi XXIII. 16. seqq.* sed & alias ex *Historia Judaica* tanto cum consensu confirmatum est a Viris eruditis, ut nonnisi imperite negari queat. Eo autem supposito satis liquet, non præcepto ipsi, sed ejus corruptelis humanis censuram Domini esse oppositum, consequenter absolutum verborum istorum sensum justo fundamento destitui. Id *tertio* quoque *loco* eundem destruit, quod post verba sua: *Ego vero dico vobis &c.* non nominet Christus juramentum per *nomen Dei*, quod in lege continetur, sed obliquas illas & sine dubio ab ipsis hominibus excogitatas jurandi formulas. Non dicit: in posterum non modo vobis non licebit jurare per cælum &c. sed ne quidem per nomen Domini permissum est, quod, ut faceretis, per ipsam legem vobis hucusque licuit. Imo vero, si ea fuisset Domini intentio, quam absoluti sensus defensores prætendunt, prorsus suffecisset docere, juramentum per nomen Dei esse quoque nunc se jubente illicitum, & plane opus non fuisset, formularum illarum illegitimarum aliquam, nedum unicam, facere mentionem. Quod vero Dominus hoc ordine & modo locutus est, satis luculenter indicat, has, non illud, eum habuisse in animo: Per se enim, & silente etiam Domino, tunc patuisset, formulas illas rejici & omitti oportere. Quod-

si jam *quarto* ostendi possit, ne verba quidem Christi : *μη ομοσση ολως* : v. 34. eo pertinere, quo illa dissentientes referunt, princeps fane nervus objectionis incisus est. Quæritur, an singularis & absoluta in iis verbis sit sententia? vel an nonnisi relate accipienda sit, & in nexu cum sequentibus *μητε εν τω ερανω* &c? Quis vitio verterit jure interpretis posterius amplectenti, inter tot rationes & difficultates priori obstantes? *Inepte*, inquit inter alios SPANHEMIUS, *το ολως vel a speciebus subjectis separatur, vel ad genus & substantiam juramenti, non ad formam illius a Matthæo expressam, refertur, & hac ratione prohibitio limitata vertitur in absolutam, contra scopum dicentis, connexionem dictorum, locos parallelos alios, naturam rei prohibita, species subjectas, exempla probata, praxim cum Christi, tum sanctissimorum Virorum, & protestationem apertam Domini, se non venisse, ut solveret legem. Dub. Evangel. Part. III. pag. 626.* quæ verba ideo adducimus, quia nervose expressa sunt: alias enim in summa rei circa eam adverbii *ολως* expositionem plurimum consentiunt Theologi, quamvis nonnunquam dissentire videantur. Unde vix novum pondus accedit *dissentientibus*, quando illud *ολως* ex *Jacobi Apostoli* verbis : *μητε ωδων τινος ορκου* : c. V. 12. illustrare & confirmare satagunt, existimantes, hac additione omnem exceptioni cuicumque occasionem præcisam esse. Præterquam enim, quod procul dubio *Jacobus* idem docere voluerit de hac causa cum *Christo Domino*, commode fane subintelligi potest, *ωδων ορκου* esse ejusdem ordinis cum exemplis prius adductis, & sonare tantundem ac *τοιςτοις*, prioribus similem. Neque enim alias capi potest, si his verbis juramentum per nomen Dei, olim sine controversia legitimum, designare voluisset, ceterisque adjungere, cur unice nominatis minus principalibus, & ex longe alio prohibitis titulo, jurandi formulis id, quod principale erat, & maxime certo apertoque indicio dignum, reticere, & vaga saltem ac incerta ratione subinsinuare voluerit. *Reliqua itaque juramenta*, non male ajunt Theologi, *indefinite prohibita ad idem genus referenda sunt, sub quo sunt exempla iidem ab Jacobo fallata.* Vix igitur intelligi potest, quo jure post expositum hoc ordine tenorem verborum Domini: *Ne jurate omnino neque per cælum, neque per*

per terram &c. concludere audeat SCHYNIUS : *Et sic connexio omnium Christi verborum involvit absolutam prohibitionem omnium juramentorum, quomodocunque etiam factorum, T. II. Hist. Menn. p. 68. Quinto sensui absoluto & illimitato verborum Domini repugnare credimus; quod v. 33. c. V. Matthæi de redditione juramenti seu voti Domino præstanda ex tenore legis divinæ dicitur; illo enim admisso, non juramenta solum, sed etiam vota omnia in N. T. essent prohibita, quod nemo temere admiserit. Sunt interim vota Deo facta species quædam juramenti, etiam si non omnia formulis jurandi totidem verbis concepta essent. Falsum igitur est, Dominum sine omni exceptione, vel omni sensu, legem divinam v. 33. immutasse, vel omnino sustulisse, quod tamen ab adversariis prætenditur. His hucusque evictis non valde nos de absoluto sensu persuadebit, quod a Domino, ejusque Apostolo in reliquo textu Matth. 16. v. 37. & Jac. V. 12. subjungitur, utut dissentientibus omni exceptione majus videatur. Sive το υαι υαι, & ε : de determinata quadam loquendi formula, sive de simplici affirmatione vel negatione absque omni asseveratione ulteriore, cujuscunque generis, accipiatur, manifestum est, id non potuisse verbis illis intendi. Prius ipsi fatentur dissentientes locum habere non posse. Sed nec posterius feliciter defenditur, quia nihil frequentius in ipsius etiam N. T. libris occurrit, quam hujusmodi asseverandi & confirmandi formulæ, affirmationi vel negationi robur aliquod & pondus addentes, ut postea demonstrabimus. Nihil ergo clarius est sensu altero, qui non ad totum de juramenti argumentum, sed ad certum genus sermonis humani referri debet, quod levibus, superfluis, & inutilibus, ac præterea arbitrariis, jurandi actibus pollui solet cum contumelia nominis divini. Unde & περισσων illud, quod dicitur εκ 7ε σωνηε, æstimandum est, ut §. 1. jam ostendere cœpimus. Quamvis autem hætenus dicta ita sint comparata, ut fiduciam inspirare possint majorem, nos tamen id unum nunc exinde concludimus, qua fronte nonnulli Scriptores ob limitationem aliquam in verbis Domini subintellectam irreverentiam erga ipsum, neglectam religionem, atque ipsam etiam impudentiam Theologis ceteris imputare & exprobrare audeant, scribantque, *über diesen Worten**

Worten Christi, bevorab *wissenschaftlich und eigenwillig zuvörder handte*, der *würcke aus dem Teuffel*, er thue es *unter welchem selbsterwehten Schein er immer wolle*. Nihil nunc addimus, præter hoc unicum: Rationes, quibus Salvator ostendere voluit, neque *per cælum*, neque *per Hierosolymam*, & sic deinceps, jurandum esse, nullam probandi vim habere, si ipsius juramenti usum hoc sermone suo abrogare voluit: appositum vero adduci ad probandum, quod fallantur Judæi, dum sibi persuadebant, non esse perjurium, si non directe jurarent per nomen Dei, sed per creaturas illis in formulis expressas. Atqui hoc ad abusum quidem juramenti tollendum spectat, minimum vero nexum habet cum juramenti ipsius abrogatione. Suffecisset omnino, ut supra dicere cœpimus, ad anputanda specialia omnia inculcare, *nunc omne juramentum, qualecunque sit, esse illicitum*, si hæc fuisset Dõmini intentio, ut prætenditur.

S. 4.

An præjudicium aliquod solidum *tertio loco* desumi possit ex ipsius Dei, Christi Domini, & SS. Cœlitum juramenti seu actibus jurandi? disquisitione seria & impartiali indignum non est. Facta ipsa certa sunt, & memorabilia, quæ legimus de Deo, e. g. *Gen. XXII. 16.* de promissione jurata *Abrahamo* facta; *Pf. XC. 11.* *Hebr. IV. 3.* de comminatione simili *exclusionis a terrâ Canaan*, & *Es. XIV. 24.* & *interitus Babylonis*; *Es. XLV. 23.* & *Jer. XLIV. 26.* de *juramento per seipsum* & per *magnum nomen suum* facto *super omni genu sibi flectendo* &c. Ut multa exempla similia prætereamus, quorum satis magnus est in S. literis numerus, diligenter ab iis collectus Theologis, qui hoc argumentum sibi sumserunt tractandum. Ad *Filium Dei* tum nonnulla ex allatis dictis applicantur, tum maxime uterque ille locus, qui *Dan. XII. 7.* & *Apoc. X. v. 5. 6.* legitur, nisi quod alii ad creatum quendam Angelum postrema referre malint, de qua controversia exegetica hoc loco non operose disputabimus. Extant de cetero in his juramenti divinis circumstantiæ notatu dignissimæ. Non est in iis simplex affirmatio vel negatio, quamvis hæc ob infallibilem & immutabilem Dei veracitatem ex ipsorum quoque hominum confessione quam maxime possit ac debeat sus-

sufficere ad fidem dictis ejus conciliandam, a quo casu graduque homines, etiam religiosissimi, nedum ceteri, longissime distant. Sed confirmatio jurata in summa emphasi, per quam quidem imperfectiones juramenti humani non recidunt in Deum, quicquid tamen in juramento est efficaciam, obligationis, & virtutis persuadendi, ultra simplicem affirmationem, revera Deo ipsi attribuitur, atque a Deo in illo actu jurandi intenditur. Dum igitur ipse Deus, utut veracissimus atque ab omni specie fallendi per naturam alienissimus, admittit tamen hoc medium confirmationis & asseverationis propter eos, quibus id prodesse potest: multo certe minus licebit hominibus tanquam rem se indignam & a se recusandam arbitrari, quando, non habita personali eorum fide & *αξιοπιστία*, bonum Societatis in exigendo admittendoque juramento prevalere debet. Possent videri, eos nimium hic sibi tribuere, qui plus hac parte pro se exigunt, quam ipse Deus pro se postulavit, & cum rigore in se ipso & a seipso voluit observari. Testatur sane *Pauli ad Hebraeos epistola c. VI. 16. 17. 18. φιλανθρωπιῶν* Dei eo usque processisse erga humanam imbecillitatem, ut pro ratione divini juramenti allegare non vereatur, quia *juramentum sit alias finis omnis contradictionis*, etiam summam; ideo Deum quoque velle jurare, ne ulla de promissionibus suis, in summis quoque tentationis paroxysmis, superesset dubitatio. Imo addit *Apostolus*, hoc medio usum esse Deum in gratiam *heredum promissionis* h. e. ipsorum fidelium, non dedisse hoc in remedium incredulitatis, sed in fulcrum fidei imbecillis & tentatae. Illi vero, qui ob increduli mundi postulata juramenta detrectant, tanquam injuriam bonae & Christianae suae existimationi indecoram, multo adhuc magis procul dubio stomacharentur, si in gratiam pii cujusdam, & propter ejus infirmitatem, jurare cogerentur, hac certe parte Deo ipso delicatiores & sanctiores. Quodsi porro fines considerentur illorum actuum jurandi divinorum, id certe exinde constare videtur, non posse innocentius jurare ipsos etiam homines, quam si jurent eas ob causas, propter quas Deus ipse jurare potuit voluitque, quousque sc. res ista ad homines pertinet. Si attendimus ad formulas juramenti divini, per *Deum ipsum*, per *vitam & nomen ejus*, per
bra-

brachium & dexteram suam, aliasque similes, perspicimus quidem, neminem hoc modo jurare posse, quam Deum, qui majorem seipso non habet, nec provocare ad superiorem potest: sed nihil tamen ob stare videtur, quo minus homines ad Deum testem & judicem in casibus eo pertinentibus provocent, modo sibi conveniente, h. e. tanquam ad testem & judicem supremum, quia ea suprema Dei autoritate non obstante, quæ ipsum juramenti incapacem reddidisse videbatur, nihil tamen minus per seipsum (quod solum ei erat relictum) jurare maluit, quam ab juramento, per quod prodesse posset hominibus, abstinere. Præterea vim istam juramenti sui ea quoque parte juramento humano accommodare voluit Deus, qua homines, si fallerent, ad hæc vel illa incommoda ferenda se offerunt. *Dicitur autem jurare Deus*, ait ad *c. XIV. Esaia v. 24. VITRINGA*, ubi aliquid affirmat per veritatem, præstantiam, & immutabilitatem æternam & verissimam suæ naturæ, ut, si fidem fallat: divinitas ejus nulla censeatur. Comparat itaque Deus jurans dicta & consilia sua cum veritate naturæ & essentia atque excellentia sua æternæ, ad quam abnegandam se obstringit, si minus dicto fidem præstet, aut decreta exequatur: quod cum sit *en Ιωv αδυσωλον*, & cogitatu absurdum, fieri unquam posse, ut Deus excidat statu suæ divinitatis & excellentiæ, nihilo minus ea fieri necesse est, quæ juratus futura affirmat. *Comment. in Es. ad h. l. T. 1. p. 443.* Eousque dum procedit divina *συνδικαβουσι*, non certe merus verborum ornatus, sed gravis sensus in eo quærendus est. Sc. cum jurantes homines ad illud *αδυσωλον* in Deo ascendere non possint, hac saltem parte ad Deum jurantem appropinquare debent, ut in optima fide suæ conscientiæ & sinceritatis reipsa & actu ipso nunquam fallant, hocque medio juramentorum finis legitimus & innocens per ipsos semper possit obtineri. Id ipsum denique omnium maxime mirum est, Deum jurantem vel sub ceremoniis humanis *elevationis manus ad cælum* se repræsentare in Verbo suo. *Num. XIV. 30.* dicit Deus: *Si vos intraveritis in terram, super qua sustuli manum meam, quod habitare facturus sim vos in ea, & rursus Deut. XXXII. Sustuli namque ad cælum manum meam, & dixi: vivus ego in æternum &c. v. 40. item Ezech. XX. 5. in die, quo elegeri Israël, sustuli manum*

manum meam semini domus Jacobi. Non est mera synonymia in his textibus, ut per metonymiam adjuncti juramentum ipsum intelligatur: sed emphasis nova & propria, quæ oritur in actu jurandi ex ista manuum sublacione, non quod Deus vere & ad literam manus, quas non habet, ad cælum attollere possit, sed quia is per hoc symbolum *κωρυθρον*, sed *Θεοπερως*, sibi adscriptum reipsa significare voluit, nihil perfectissimæ suæ voluntati implendi sua dicta unquam defuturum, ut, si id sibi competeret, ne hunc quidem modum jurandi esset detrectaturus, saltem dicta sua omnem vim & perfectionem juramenti habere debeant. Si quid prodesse possit hæc circumstantia ad causam præsentem, quam tractamus, docebit forsitan, majorem scrupulositatem, quam certitudinem, testari eos, qui sæpe rem ipsam juramenti, si recte describatur, improbare non possunt, & tamen in formulis & ritibus consuetis juramenti admittendis sunt scrupulosissimi. Quænam *Dan. XII. 7. & Apoc. X. v. 6. & 7.* sit vera & expositio, & quid pro decisione quæstionis nostræ inde possit repeti? paucis quoque verbis indicandum est. Qui in utroque loco *Filium Dei* ipsum apparuisse & jurasse existimant, ad magnificam utriusque angeli descriptionem provocant persona creata lóngè superiorem: qui vero contrariæ favent sententiæ, suis quoque rationibus speciosis non destituuntur. Longius autem abest a scopo nostro præsentem examen hujus hypotheseos exegeticæ. Conf. interim, si placet VITRINGA & MARCKIUS in *Comment. in Apocal. ad h. l.* & ex Nostris RAMBACHIUS in singulari *Dissert. de divinitate Dei ex juramento per seipsum demonstrata* &c. nec non Ven. Abb. BENNELIUS in *Erkl. Offenb. ad h. l.* Ponamus, Filium Dei fuisse, tunc id unum hæc visio adjiciet, quod is actu ipso & vere in ista visione *elata ad cælum manu in specie humana juraverit per eum, qui vivit in secula seculorum, & creavit cælum* &c. & quod hic actus jurandi durante N. T. fuerit præstitus, quod vel ideo diligenter notandum est, quia ad omnia V. T. exempla continuo excipiunt, de N. T. quæstionem esse, non de Veteri. Hic autem habent exemplum in N. T. quod tamen in suis responsionibus sæpe desiderant. Valet hæc observatio ex eorum quoque hypothesi, qui *angelum creatum* heic jurasse credunt,

& ostendit, N. T. tempora non obstare, quo minus in causis gravibus valida & singulari ratione confirmandi opus sit: hæc enim ratio erat, cur Angelus ille non simplici tantum recensione prophetica, sed solenni etiam juramento, volente Deo, uti debuërit. Saltem exempla hæc non valde apta sunt ad persuadendum, a Christo Domino omnia simpliciter interdicta fuisse juramenta, imo potius ad imitandum suo loco & tempore invitant. Hucusque ex illorum mente disseruimus, qui omnino non abs re esse existimant argumentum a divinis & cœlestibus illis juramentis depromptum, dum recte omnia suo loco & ordine disponantur. Nec tamen dissimulanda sunt exceptiones *Dissentientium* contrariæ, quæ apud novissimos quoque hujus causæ patronos ingenti cum fiducia repetuntur. Dicunt, ne dici quidem posse de Deo, quod proprie & vere juraverit: Deum esse supra legem, nos vero sub lege: nullibi dici, hæc nobis ad imitationem esse proposita: motiva & modum jurandi a nostris differre: esse de essentia juramenti, jurare per superiorem: Christum non fuisse illum Angelum apud Danielem & Apocalypsin: Non angelis datam esse legem, sed nobis: Tempore Christi juramenta adhuc valuisse ex veteri lege: nos non teneri rationem reddere de eo, quod Christus fecit, sed de nostris actionibus: esse in eo quoque dissimilitudinem, quod Christus ob aliorum incredulitatem juraverit, Christianos vero hodie obligari ob dissidentiam injustam in seipsos. Hæc summa est eorum, quæ apud BARCLAJUM, SCHYNIUM, ANONYMUM occurrunt. *ll. cc.* Putem vero re candidè expensa, præcipuum robur horum dictorum omnium consistere in petitione principii, quod Christus absoluto sensu quævis juramenta abrogaverit: eo enim supposito aliter respondere non possunt. Utuntur igitur jure respondentium, qui semper suæ sententiæ tanquam certæ inhærent, & ex nexu suarum hypothesium omnia dijudicant. Qui vero de contrario convicti sunt, optarent examen causæ liberius & minus affectatum, post quod ex integra deinceps causa eo facilius posset iudicari. Ad specialia si progredimur, falsum est, Deum non vere jurasse, neque par est, humanas imperfectiones in jurando cum substantia juramenti miscere atque confundere. Utique Deus est su-

pra leges, sed dum juravit, id non fecit ex plenitudine majestatis & potestatis legislativiæ, sed per *συγκαταβασιον* & imitationem nostrorum actuum ad ipsos usque ritus, ut supra ostendimus. Non decuisset Deum nobis similem se præbere in illis actibus, quos ipse haberet & haberi vellet pro illicitis vel prohibitis. Quousque juramentum Dei & hominum a se differant? facile est intelligere. Hoc quæritur, an eo se extendat, ut Deo liceat jurare, nobis vero plane non liceat? Esse de essentia juramenti, ut quis habeat superiorem, id ipsius Dei dictum refutat, quod vel ideo, *quoniam Superiorem non habet, juraverit per seipsum*, id quod huic postulato e diametro contrarium est. Sive *Christus* fuerit ille angelus, sive non fuerit, ab eo summa rei certe non pendet, ut vidimus. Utique non angelis dictum est, *μη ομοσασθε ολους*. Sed nec nobis dictum est in eo sensu, quem obtrudunt adversarii. Æque periculosum, conscientias oneribus subijcere, quæ revera Deus ipsis non imposuit, atque est, propria autoritate & voluntate se a legibus divinis dispensare. Hoc illi nobis, illud ipsis nos objicimus. Quo jure, quave injuria hoc fiat? non importunitate, sed rationibus & fundamentis idoneis, evincendum est. Reliqua dimittimus, neque enim magnum pondus iis inesse arbitramur. Si cui tamen placuerit, ea in publico colloquio urgeri permittimus.

§. 5.

Præjudicium quartum exempla *SS. aliorum Veteris & Novi Testamenti* nobis suppeditant. Sanctorum quidem V. T. facta ipsi etiam *Dissentientes* agnoscunt, sed vim probandi illis detrahunt, quoniam ex veteri lege jurare ipsis licuerit: in N. autem Testamento intervenerit interdictum Salvatoris, quemadmodum id factum sit in multis aliis. Neque hoc argumentum apud eos valebit unquam, priusquam probatum fuerit, interdictum istud ex intellectu sinistro Christi Domini primam traxisse originem. Urgent interim Theologi, quæ certa esse putant, e.g. sole clarius inde liquere, juramentum non esse rem in se malam & vitiosam, cum alias nunquam potuerit esse licitum: item non fieri inde malum, quamvis malum aliquod præexistens, infidelitas ni-

mirum & malitia hominum, sit illius causa vel occasio : Secus enim si esset, in V. T. non minus malum fuisset, quam in Novo, quam tamen consequentiam *Dissentientes* non concedunt : etiam a vere & solide sanctis hominibus posse juramentum præstari : Maxime vero urgent Theologi, esse *præceptum secundum Decalogi de non pejerando*, vel *non assumendo nomen Domini in vanum*, atque adeo ad legem moralem & perpetuam pertinere, quam Christus non abrogaverit. *Dissentientes* contra & hoc loco manibus pedibusque reluctantur, ac prætendunt, ad ceremonialem potius, quam moralem, juramentum pertinere legem, qua in re amplificanda satis copiosus est BARCLA JUS in *Apolog. Theol. Christ.* p. 468. seqq. in cujus tamen discursu non una reperitur sophisticatio in æquivoca acceptione terminorum legis moralis & ceremonialis. Concedemus nos nostra ex parte, quicquid sit de illa controversia, quicquid sit de exemplis V. T. potuisse Christum Dominum pro potestate sua tanquam medium vitandi quævis perjurii, & omnes abusus profanos nominis divini, constituere legem de plane non jurando, dum id voluerit, &, ut vellet, rationes aliunde habuerit, finibus suis consequendis sufficientes. Id unum ergo quæritur, an voluerit hoc uti remedio ? Noluisset autem eam partem legis mutare, ad minimum continuata Sanctorum Nov. Test. juramenta solide probare existimant Theologi, quam in rem vix quicquam aliud magis apposite allegant præter sententias *Pauli Apostoli*, in illis locis, quibus veritatem abs se assertum, non simplici, sed jurata, affirmatione eum in modum sæpe confirmat, quo id faciunt jurantes. *Rom. I. 9.* ait : *TESTIS mihi est Deus, cui servo in Spiritu* &c. *2. Cor. I. 23.* *Ego vero testem Deum invoco in animam meam* &c. (de qua formula notant Theologi, *es seye eben so viel, als : so wahr ich begehre, daß GOtt meiner Seelen helfen, oder gnädig seyn solle*) *Add. Rom. IX. 19. Gal. I. 20. 1 Thess. V. 27.* &c. Injusta & indigna seriis hominibus cavillatio est, non esse vera juramenta huiusmodi formulas. Certum est, plus in iis esse, quam simplex *voti*, cuius *περισσόν* dicunt secundum Salvatorem esse ex Diabolo, cum manifesto & superstitioso excessu. Certum vero & illud, partes veri juramenti essentielles, provocationem nimirum

mirum ad Deum testem & vindicem ibi reperiri, quod omnino ad scopum sufficit. Frustra, ubi res adest, de circumstantiis accessorii litigatur, quorum & illud pertinet, quod *non coram Magistratu juraverit Paulus*, uti nonnulli excipiunt, neque enim ad Magistratum solum restrictum est, quicquid pro juramento potest ac debet haberi. Magis adhuc desperata est illorum responsio, qui dicunt, si Paulus vere juraverit, *eum peccasse*, & violasse legem Salvatoris. Quis enim crediderit, Paulum ignorasse verum doctrinae Domini sensum, cognitumque scientem & volentem transgredi voluisse, & quidem tam saepe, & inter instinctus atque testimonium Sancti Spiritus, ad quem provocat? Nonne satius erat fateri, se mentem Domini non recte habere perspectam, aliterque Paulum eam intellexisse. Hinc modestius excipitur ad hoc factum Pauli, ex instinctu singulari S. Spiritus esse profectum, quo cum alii careant, eos communi Domini regula teneri. Addunt propterea, præceptum Christi de non jurando non quidem *exceptionibus* carere *divinis*, sed *humanas* esse vetitas. At probari debebat, non solum asseri, instinctum S. Spiritus, qui sine dubio fuit in Apostolo, dispensationis causa ipsi heic collatum esse. Nihil de hoc monet Paulus, neque in re tam gravi & Deo digna dispensatione aliqua opus habuit. Alias utile fuisset testari vel verbulo de hac exceptione, ne quis a tanti Apostoli exemplo imprudens occasionem acciperet, legem Domini de non jurando violandi. Sed omnibus his ambagibus affectatis carere possumus, quamprimum in vero sensu verborum Domini acquiescimus, quem non carere suis limitationibus & exceptionibus hucusque ostensum est.

§ 6.

Adcrevit huic sententiæ communiori novum robur per *Præjudicium quintum ex Hebr. VI. 16.* peti solitum. *καὶ πάσης αὐτοῖς ἀντιλογίας πηγὴς εἰς βεβαιώσιν ο ὄρκος*, inquit *Apostolus*. Nervi huius argumenti sunt sequentes: Ipsum Apostolum provocare ad hanc regulam, & quidem sine omni indicio improbationis: Loqui de re consueta suo quoque tempore tanquam ubivis recepta: Non excipere Christianos tanquam

per religionem suam ab hac consuetudine alienos : Attribuere effectum finitæ controversiæ juramento , tanquam ex natura rei , & laudabiliter inde fluentem , hocque nomine in toto genere humano usitatum : Ex applicatione huius regulæ ad *Deum* perspici , nihil in ea re mali esse : Cum etiam in *N. T.* controversiæ sint , quas necesse est finire , non posse yetitum haberi id medium , absque quo sapissimæ lites ne nunc quidem possunt terminari . Has ipsas rationes ad minimum speciosas esse , quis temere negaverit ? Cur ergo adversarios non cogunt ad modestum de dissentientibus iudicium , etiamsi ipsis aliter videatur ? Sc. res huc redit : Systema eorum inviolabile & anticipatum est . *Christus in N. T. quævis juramenta vetuit* . E. ubi quid obstare videtur , quidvis potius excogitandum est , quam ut credant , se mentem Domini forte haud recte intellexisse . Videamus igitur , quid *Autores supra citati ad h. l. ep. ad Hebræos* excipiant : Dicunt , alludere Apostolum ad factum præteritum , & consuetudinem *V. T.* Loqui saltem historice , non assertive : juramenta hodie a Christianis usurpari quoque extra controversias : Ne quidem verum esse , quod controversias omnes finiant : Simile esse exemplum , quando Paulus ad *cursum in studio* alludit commendandæ alacritatis Christianæ gratia , nec tamen ideo vanitatem illorum cursum approbat . *1 Cor. IX. 24.* non sequi , quia doli & malitiæ invaluisse inter homines mundanos & Pseudo-Christianos ad lites & controversias usque , isto quoque modo agi debere inter veros Christianos , qui ex litibus & incredulitate redempti venerunt ad Christum veritatem & Amen Dei . Nos contra notamus , in præsentem verba sua *loc. cit.* enuntiare Apostolum : *Ομνυκσι* , inquit , & cum altero simili procul dubio tempore conjunxit , dum ait : *καὶ παντὸς αὐτοῖς ἀντιλογίας πρὸς εἰς βεβαιώσιν ο ὀρκος* *1c. 251.* Habuisset autem occasionem paratissimam cavendi omnem abusum suorum verborum , si Christianos per præceptum Domini exclusos ab juramento credidisset dixissetque . Atqui ad hanc rationem vel exceptionem nullibi provocavit Apostolus , etiam in illis locis , in quibus de controversiis forensibus inter Christianos ortis docet . E. gr. *1 Cor. VI.* multa assert , ut dissuadeat Christianis lites in foro gentili , vel alibi quoque . Quam dextre hic

hic potuisset moneri, vel ideo abstinendum esse ab huiusmodi controversiis in tali foro, in quo certo certius venirent in periculum ac necessitatem jurandi, atque adeo actus committendi a Domino districte prohibitos. Argumentum hoc fuisset reliquis ab Apostolo adductis nequaquam levis. Et tamen adeo grave, ut putant dissentientes, momentum ne e longinquo quidem insinuat. Quod de juramentis extra controversias civiles & forenses usitatis dicitur, non quidem abs re est. Sed quis unquam dixit contrarium? Si juramenta controversiam & litem non finiunt, debebant saltem finire. Sed & illud certum est, hoc sensu ordinarie finiri lites in foro externo, quia lites in isto statu non amplius recipiuntur ab iudice, & pro decisis absolutisque declarantur, quicquid sit de statu litigantium interno, si humana accedat pertinacia. Est quoque in hac exceptione manifesta vitiligatio adversus ipsam legem divinam in *V. T.* hac ipsa de causa datam. *Exod. XXII. 11.* Simile de *curso* *1 Cor. IX. 24.* si quis præter omnem causam huc applicari dixerit, nihil sane affirmabit a veritate alienum. In illa similitudine prorsus non attendit *Apostolus* cursuum illorum vitium, sed unam respicit alacritatem & constantiam infatigabilem tendendi ad metam, in quo tertio nihil erat mali. Ultima exceptio lucem aliquam accipiet ex proxime dicendis, ad quem locum ulteriora servamus.

§. 7.

Surgit *Præjudicium sextum* e statu quæstionis sinistre & illegitime posito a dissentientibus, qui tamen plurimum habet in recessu. Sic formant quæstionem: An verus atque genuinus Christianus, qui non amplius sub lege, sed coram Deo in gratia stat Evangelii, postulante Magistratu, in rebus religionis & Politicæ, absque læsione honoris divini suæque conscientia per formulas juramenti, quales hodie deferuntur, jurare possit? & quæstionem ita propositam negative decidunt. De hominibus mundanis dicunt se non esse sollicitos, eos enim, si vel concessum esset juramentum in *N. T.* ut nihil sine peccato faciant, nec sine peccato jurare posse. *V. Anonym. l. 6. p. 3. seqq.* Nec dissimilia tradunt *Scriptores ceteri*, ad quos digitum intendimus, urgentes

gentes perpetuo, Christianos & regeneratos homines ad fidelitatem & veracitatem vocatos esse, non ad juramentum. Nos autem existimamus, personalem illum statum gratiæ minus recte huic statui controversiæ inferri, ex variis rationibus; maxime, quia potius in genere de indole & genio N. T. sive de eo, quid nunc in N. T. Christianis omnibus vi illius liceat, vel non liceat? erat quærendum. Absonum esset, si quis diceret, regeneratis, sive Christianis veris virtute N. T. abstinendum a Polygamia, & licentia divortiorum: ceteros autem Christianos, etiam in N. T. tempore, hac lege non teneri. Si verum est, Christum nunc in N. T. omnibus juramentis interdixisse, non solis vere regeneratis, sed omnibus Christianum nomen professis ea interdicta censerentur debent. Accedit *secundo*, ex hac hypothese Magistratus primo loco teneri inquirere, quisnam subditorum suorum sit regeneratus, nec ne? Sed præposterum hoc esset postulatum in huiusmodi negotio universali, atque ad omnes subditos, qua subditos, spectante. *Das wäre ein langweiliges Examen vor einer Huldigung, oder andern dergleichen Actibus.* Quamvis igitur nullum sit dubium, quin status interior hominis Christiani applicate & respectu huius vel illius individui, in præstatione juramentorum, vel abstinentia ab juramentis, suum possit habere momentum, de eo tamen hic proprie quæstio non est, ubi in universum agitur de hominibus in Oeconomia N. T. viventibus, h. e. professione Christianis: sed de obligatione omnium Christianorum vi præcepti Christi, sive illi vere tales, sive professione tantum sint. Hinc etiam *tertio* non est omitenda consideratio distincta temporis externi N. T. & indolis internæ N. T. quam soli possident fideles. Cum in externo tempore N. T. Christianorum magna pars & relabi possit, & actu ipso prolapsa sit in statum magnæ corruptionis, & propter hanc ipsam rationem reviviscant omnes illæ causæ necessitatis & utilitatis jurandi, N. T. sane hoc latere consideratum non obstat, quo minus juramenta, ut olim factum est, opponantur levitati & petulantia hominum; neque credibile est, Salvatorem ab hoc statu Christianorum absoluta lege usum juramenti proscriptum voluisse. Imo *quarto* nova inde ratio emergit,

cur personalis horum vel illorum individuorum probitas hac parte non attendatur, quoniam non propter ipsos hoc negotium agitur, sed ex respectu totius Societatis & usus communis, cujus gratia ipsi etiam boni se submittere tenentur, dum peccatum non sit & legi divinæ contrarium: id enim hic supponitur. Sint Christiani fideles, veraces, fide digni, utcunque placuerit. Hoc eorum officium est, & laudabilis virtus. Nihil horum ipsis re ipsa detrahitur, dum in eo statu Societatis communem subire sortem tenentur, æque ac id factum est in V. T. Possimus etiam illud *quinto loco* repetere, quod supra jam dicere cœpimus, falsum esse, quod juramentum præstari non possit ex timore & reverentia nominis, & ex principiis sanctis, quæ plorurum probitatem nihil impediunt, imo potius supponant. Revèra ergo hic respectus regenerationis & gratiæ non erat in statum quæstionis intrudendus. *Sexto* non sufficit, quod dicit *Anonymus*, eos, qui vere Christiani non sunt, *ut nihil sine peccato faciunt, ita neque absque peccato jurare*. Non enim principium actionis internum in foro humano heic attenditur, sed obligatio externa. Præterea non licet hic simpliciter confundere actiones moraliter & spiritualiter bonas. In his principium spirituale requiritur coram Deo: sed in illis quoad valorem actionis externum sufficit actionis cum lege convenientia. Quorsum quæso rediret status generis humani, si homines ad nullos actus possent obligari, ad quos spiritualiter exercendos nondum sunt idonei? Concludimus igitur, juramenti publici valorem vel invaliditatem non fundari in dispositione personali unius & alterius, sed in statu & rationibus totius Societatis, quod erat probandum.

§. 8.

Huc porro pertinet ad *Præjudicium septimum* formandum stabiliondumque, quod multi ex *Dissentientibus* re ipsa juramentum videantur admittere, dum omnis eorum controversia id, quod accessorium tantum est huic causæ, oppugnare videtur: unde non paucorum opinio est, contra larvas ipsos sæpe certare, & multa dicere, quæ attentius inspecta nequaquam cohærent. Juramentum vel consideratur in sua substantia, vel in variis illius formis & accidentibus. Dum per hanc

viam nihil mutetur in essentialibus, valde accidentalis est & inanis controversia, quæ movetur de juramento. Non negant *Dissentientes*, posse salva conscientia Deum invocari testem: Concedunt, posse provocari ad omniscientiam Dei, & affirmari aut negari aliquid tanquam in conspectu & præsentia Dei: Protestantur, se nunquam in rebus ponderosis recusasse hujusmodi serias contestationes: e. g. *Loquimur veritatem in timore, & coram facie Dei, qui noster testis est, & scrutator omnium cordium*: Offerunt se, si contra promissum fecerint, aut falsum dixerint, velle se coram Deo & hominibus tanquam perjuros tractari, hancque declarationem *formulis sibi loco juramenti propositis* hic ibi patiuntur inseri: Fatentur etiam disertis verbis, *noluisse tamen Sanctum Legislatorem dicere, illicitum esse, multis aliis verbis in affirmanda vel neganda aliqua re uti, quam est & non, sed solummodo nobis abstinendum esse tantis asseverationibus & imprecationibus, quibus juramentum a quacunque alia simplici veritatis declaratione distinguitur* &c. In colloquiis quoque publicis contenti erant partes dissidentes hoc statu quæstionis: *An Christianis licitum sit legitime per Dei nomen jurare, h. e. invocare Deum in testem veritatis?* & quæ sunt alia id genus plura. Ipse etiam *Anonymus saepe cio.* in statu quæstionis abs se præmissis videri possit totam controversiam ad *formulas juramentarias consuetas* restrinxisse. Ex iisdem principiis negare quoque solent, summi etiam ordinis asseverationes in *Scriptura S. N.* quoque *T.* occurrentes vera esse juramenta, vel veras jurandi formulas, ad quam tergiversationem ornandam *BAR-CLAJUS* prætexit *non contentos fuisse Magistratus, quando non detrectaverint uti hujusmodi asseverationibus, sed insuper, & ultra istas, suas formulas usitatas ipsis obtruserint, certo, ut putat, indicio, eos priores ad juramentum aliquod verum sufficientes non agnovisse.* l. c. p. 472. Ex his factis duo nunc ostendimus. Primum quidem, quod hæc agendi ratio *Dissentientium* nihil sit aliud, quam rem ipsam admittere, dum negatur & repudiatur nomen. Alterum vero, quod in ea non appareant signa certæ & solide informatæ conscientiæ, sed ad summum timidæ, confusæ, & præoccupatæ, nec non ex integra causa haud judicantis, quæ adeo longe abesse debet ab immani illa fiducia causæ, cui in hac *Dif-*
ser-

sertatione contradicimus. Actus illi, quos diximus concedi, revera sunt juramentum, & substantia juramenti, ut vel ex definitionibus Theologorum apparet, apud quos omnis extantior confirmatio veritatis ultra simplicem affirmationem, nomine divino interposito, h. e. cum provocatione ad Deum testem, vel etiam judicem, juramentum est. At qui neutrum se recusare dicunt *Dissentientes*, primum quidem in terminis, alterum, dum se offerunt ad pœnas perjurii, easque divinas & humanas, si secus dixerint, aut fecerint, & quidem per solennes formulas a Magistratu tanquam æquipollentes, ipsis consentientibus, propositas. Nomen igitur timent, non rem ipsam. Faciunt, & non dicunt. Dicunt, se non jurare, nec jurare per conscientiam posse: & faciunt tamen id, quod juramentum est. Id ipse etiam Rex M. Britanniae *Carolus II.* aliquando objecit *Hubbertono*, *Quackero*, qui nihil respondit, quam, quod *Magistratibus Anglicis ista asseverationes suæ non habeantur pro juramento, nisi & more & ritu solito jurent*; (V. GUIL. SCHEWEL. *Hist. Quack. L. V. p. 231.* ubi sic respondisse legitur *Regi Hubbertonus*: *Ja, vvas vvir bekræfftigen, das kœnnen vvir vor dem Herrn versprechen, und ihn darinnen zum Zeugen nehmen. Allein diß unser Versprechen ist nicht angenommen vworden; sondern si sind auf der Ceremonie des Eydes bestanden, ohne vvelche alles andere vor unkræfftig gehalten vworden.*) Idem excipientem *BARCLAJUM* supra vidimus. Nos vero existimamus, hoc argumentum nihil probare. Si Magistratus illi Anglici non acquieverunt in istis asseverationibus *Quackerorum*, certe hæc non erat ipsorum ratio, quod asseveratio cum provocatione ad testem Deum non sit juramentum, sed quia hæc fuga affectata formularum jurandi publicarum, idem in se continentium, ipsis suspecta & odiosa erat, & nonnisi malam intentionem suspicabantur apud istos vitiligatores superstitiosos, quales in oculis eorum Judicum videbantur. Quodsi enim res ipsa innocens est, sc. Deum in testem & judicem suorum dictorum advocare, h. e. jurare, quid illi nocebit ceremonia elevata ad cœlum manus, & formula: *Ut me Deus adjuvet.* Hoc sc. illis obstabat. Supponebant, Christum prohibuisse jurare. Suas asseverationes ob defectum solennitatis juramenta esse non crede-

bant. Additis vero ceremoniis non dubitabant sibi jurandum esse, quod volebant. At non attendebatur ab ipsis, ceremonias illas non facere juramentum, sed comitari saltem. Male igitur & imperite faciebant, dum sibi persuadebant, se præceptum Christi de non jurando, etiam suo sensu intellectum, haud violare, dum ista omnia præstabant, quæ diximus: violare autem, si idem fecerint cum istis ritibus, cum tamen hi nihil mutant in re ipsa, sed ad solemnitatem tantum, atque ad subterfugiendas suspiciones, sunt destinati.

§. 9.

Præjudicium octavum formamus ex eo, quod in plerisque illis, qui contra jusjurandum N. T. hucusque steterunt sive singuli, sive Societatis integræ, varia desiderari queant, ut non necesse sit, meram sanctitatem & religiositatem credere, quicquid in hac causa prætenditur. Absit, ut negemus, fieri posse, ut vere bonæ & religiosæ mentes ex reverentia sententiæ Dominicæ & Apostolicæ, prout ab ipsis intelligitur, omnem jurandi occasionem timeant fugiantque, & sive ignorent, sive sciant & audiant, exceptiones exegeticas in contrarium afferri solitas, semper tamen se eo recipiant, esse ad minimum tutissimum, si nulli periculo violandi & male interpretandi præceptum Domini sese exponant. De hoc nulla plane nobis est quæstio. Hoc quaritur, an illæ Societates omnes, vel singuli quoque, qui olim & hodie tanto cum affectu & rigore contradicunt juramento N. T. hanc sententiam tueantur semper ex principio veræ sapientiæ & religiositatis, quin multa hac parte adhuc desiderari possint. Quod ad Christianos, eorumque Doctores, antiquos attinet, huic sententiæ & praxi quondam faventes, præterquam quod multa etiam historice controversa sint, & a Viris Doctis bene examinata, tanta sane eorum in hac causa autoritas esse non debet, ut necesse sit credere, eos sensum verborum Domini in omnibus recte assecutos, etsi hoc de seipsis crediderint. Peritia illius temporis exegetica sine controversia multis adhuc laborabat defectibus, neque credi debet a Protestantibus, eos verum & legitimum verborum Domini sensum per traditionem, infalli-

fallibilem accepisse. Vid. interim de hac materia BINGHAM *de Orig. Eccles. T. VII. p. 353* seqq. VOSSIUS in *Hist. Pelag. L. V. P. II. p. 513*. ubi hic subductis rationibus universis hunc ponit calculum, communiorem Patrum sententiam fuisse, Christianis etiam jurare licere; nec non ea, quæ REMIG. CELLERIUS, Benedictinus, & JOH. BARBEYRACUS J. C. in *amœbais notissimis* de Ethica antiquorum Patrum inter se differuerunt. Pelagianos suo tempore accessisse huic sententiæ, mirum non est, illi enim in media extenuatione dogmatica gratiæ divinæ semper tamen arripiebant id, quod speciem habebat pietatis severioris, ut ex eorum *Historia* constat. Nihilo tamen minus inde non sequitur, eos hac in re recte sensisse, ac sine exaggeratione ac vitio. An *Waldenses* suo tempore negaverint, juramenta in N. T. esse licita; de eo non omnes Eruditi idem sentiunt. Ponamus brevitatis causa, ipsos sic statuisse. Certe perfecta & in omnibus mature expensa nondum erat eorum Theologia, & mirum non fuit, pro ratione illorum temporum, haud examinatis momentis ceteris versari in expositione illius de juramentis pericopæ. Quod ætate recentiori integræ Societates, quales sunt *Mennonitarum* & *Quakerorum*, apud se receperint hanc doctrinam, id minus nos movere debet, si consideremus, sententias ab initio male quoque susceptas deinceps in doctrinas Sectarias degenerare, & traditionem fieri haud facile tandem mobilem. A Sectis etiam indoctis seu illiteratis minus certe alienum est reputandum, si non recte assequantur sensum Scripturarum, quam ab aliis. Semel autem arrepta, a talibus maxime, mordicus tenentur, & longe minore facilitate mutantur iterum, quam a singulis fieri possit; præterquam, quod ex doctorum expertorumque Virorum constet testimonio, cultiorem *Mennonitarum modernorum* partem a pristino rigore in hac materia cœpisse recedere. Quoad reliqua *Seculi nostri* exempla facile est rationem reddere, cur opinio de juramentis N. T. illicitis passim apud singulos quoque invaluerit? Critica sunt tempora nostra. Non paucis libet quidvis potius credere & docere, quam id, quod communi consensu receptum est. Sub quovis lapide quæritur Scorpius. Ea ætate vivimus, qua in os dictum est Theologis, ne lapidem quidem

ex ædificio eorum dogmatico manfurum superstitem. Rarum hodie est, se adsuescere judiciis ex causa integra ferendis. Ipsi etiam piis simplicibus laudabile videtur nonnunquam, sine scrupulo illis omnibus se submittere, quæ apud sui similes, h. e. apud alios pietatem professos vident dominari, id quod circa juramenta eo facilius est, quia speciem habet ista sententia primo intuitu, imo habet speciem pietatis & religiositatis ordinaria majoris. In specie, qui aucti sunt ROB. BARCLAJI, celebris illius Apologetæ Quakerorum, librum notissimum *optimum Systema Theologia nominare, omnibus Orthodoxorum Systematibus anteferendum*, illis non erat integrum repudiare, quæ de *Juramentis* ibidem scripsit: quin imo in hac maxime materia ad responsiones *des wvêsheit und wvahrheit liebenden Engelländers* ROB. BARCLAJI vel nuper nos ablegavit ANONYMUS cit. Ut multa id genus alia brevitatis studio omittamus, unde patere possit, non unum esse principium, quod facilitatem arripiendi contrariam communi sententiam promoveat, idque non semper purissimum ac defecatissimum. Quod igitur maxima pars Christianorum, Theologorum quoque, his partibus hucusque non accesserit, non certe *irreligiositati & impudentia* contra apertam veritatem tribuendum, sed præsumendum, quod & ipsi, bona fide, & ex rationibus gravissimis, perspectis quoque nævis partis dissentientis, in arduo hoc & latissimi ambitus ac ponderis negotio versari voluerint, quod & luculentis speciminibus prudentes & cordati Viri re ipsa ostenderunt.

§. 10.

Præjudicium nonum pro communiore doctrina est in multis incomdis, quæ ex illa absoluta juramentorum condemnatione sequuntur. Ponamus, hanc falsam & injustam esse, ac minimè fundatam in verbis Domini. Mali tunc exempli res esset, propter unum aliquod dictum sinistre intellectum tot aliis per contortas & unius Systematis gratia excogitatas interpretationes vim inferre, quod hac occasione quam maxime fieri in illo casu necesse est. Rei quoque peccati non exigui tunc fierent, qui tot alios, & nonnunquam ingentem massam hominum, ac præterea promiscuam, suis scrupulis implent, imo longe

ge lateque conscientias simplicium , sine necessitate & soliditate , turbant , qui se ex illorum confidentissimis assertionibus præ sua timiditate & præoccupatione tam facile expedire nequeunt. Quodsi etiam consideremus ex *Historia* , quantum ex denegato sibi juramento Principes & Magistratus irritati & exacerbati fuerint , tristitia suæ severitatis exempla edituri graviter & diu , atque in magnam hominum multitudinem , non quidem necesse est violenta huiusmodi consilia approbare : at dolebunt tamen sapientes & religiosi homines infelicitatem eorum , qui potuissent per maturius examen huius causæ & sibi parcere , & suis Dominis , sibi quidem huiusmodi calamitates sine probata necessitate non accersendo : Dominis vero suis , si illis speciosa occasio data non fuisset in eos ultra meritum sæviendi. Neque religioni ullus honor verus accedit etiam , si huiusmodi reluctationibus tandem cedant Magistratus summi , non raro enim fit , ut ipsi cedatur ex pura puta impatientia , cedatur , ut stultis & furiosis fieri solet (non ex meo , sed ex aliorum , sensu loquor) cedatur ex aliis principiis , religioni nec honorificis , nec salutaribus. Etiam his incommodis superfedere possit religio , si abfuissent cetera , quæ diximus. An Theologi *horribilis cecitatis & impudentiæ* promiscue possint accusari , absque culpa ingenti coram Deo , quando nihil faciunt aliud , quam ut de sensu verborum Domini legitimo in re gravissima , de juribus legitimis Magistratuum , de cavendis conscientiarum laqueis , de aliis quoque finibus honestis solliciti sint , & sui iudicii rationes omnibus ponderandas proponant , de eo Deus ipse iudicabit , nec inter homines deerunt æquanimes & honestæ sententiæ. Porro hæc quoque incommoda notabilia habet ista opinio contraria , quod magnam partem fundata sit in extenuatione V. T. & exaggeratis illius defectibus : vitio in Ecclesia Christiana antiquo , & maximam partem orto ex hæreticorum illius temporis venenatis contra V. T. declamationibus , quibus priscos Doctores non semper a posite respondiße a viris creditur non parum exercitatis : Sedimenta autem huius erroris novissimis quoque seculis intulerunt corruptas ideas in multis Theologiæ capitibus , ut aliunde notum est. Nec illud negari potest , posse malos & leves inter Christianos homi-

nes ad malitiam suam & tegumentum ac impunitatem malitiæ suæ turpissime abuti, si ultra simplicem affirmationem & confessionem vetitatis nihil ipsis amplius liceat imponere. Medio autem necessario & gradibus examinis proportionato privare Deum voluisse Societatem humanam, & rimam procurare ad evasiones innumeras, quæ forte solo hoc remedio juramenti in plurimis casibus poterant evitari, quis crediderit? Quis contra non videt, eos qui hanc occultationem prope ordinariam promovent per suas de juramento absolute illicito persuasiones, si erraverint hac parte, æque participes se facere innumerosorum peccatorum dissimulationum & impunitorum, ac illi objiciunt communis sententiæ defensoribus communionem omnium actuum jurandi, quorum veniam illi faciant hominibus. Magnum præterea incommodum huius rei est discriminis illius necessitas, quod dissentientes urgent esse servandum inter veros Christianos & degeneres in hac ipsa juramentorum causa. Præterquam enim, quod supra jam ostendimus, illam considerationem personalem haud recte intrudi huc negotio, odiosa tunc inæqualitas introduceretur apud membra unius societatis: Quicumque absolventur juramento, eos facto ipso declarare necesse esset pro genuinis Christianis: Contrarium apud eos locum haberet, qui juramento subjiciuntur: Si sufficit, hic esse scrupulosum, ut quis liberetur ab juramento, omnes utique vellent esse scrupulosi, hisque nihil facilius esset, quam provocare ad verba Christi secundum eum, qui scopo ipsorum inservit, sensum, etiam cum animo maligno & proposito fraudulentum. Cumque etiam in juramento in se considerato & autoritate Dei munito tot sint actus destinati ad supremam reverentiam erga Deum testandam, & publica hominum confessio de gloriosis attributis & juribus Majestaticis Dei, sensim sensimque per odiosas hæc de juramento protestationes, & protestationum causas, illud apud homines denigratur tanquam res odiosa, Deo inimica ex diabolo profecta, & profectibus Christianorum prorsus adversa; quod an Deo juramenti Autori & Legislatori gratum esse possit, hominibus autem salutare? quæstio est ponderosa & magni momenti. Denique illud quoque docuit experientia nostri temporis, non jam solum

Salvatoris interdictum urgeri ab omnibus, attamen alias quoque rationes excogitari & adhiberi, propter quas hi illi sibi licere ab juramento abstinere existiment, quorsum forte referri potest, si qui ideo malint non jurare, ne sibi ad Mennonitarum, vel aliorum juramenta rejicientium, Societatem accessum familiariorem præripiant. Quicquid hujus sit, fieri facillime potest, ut novi semper prætextus, novæ rationes, multiplicentur, se a legibus Societatis subducendi, maxime si quis nolit partem odiosissimam huius facti sibi incumbere, & sit ceteroquin in inveniendis hujusmodi subsidiis ingeniosus & fœcundus, quod hodie tam rarum non est.

§. II.

Reliqua, quæ supersunt dicenda, *Præjudicio decimo* complectemur, quod per aliquot specimina ostendit, non deesse abusus remedia, etiam sine ipsius juramenti abrogatione. *Primo* autem eo minus tumultuari contra juramenta necesse est, quoniam e sententia communi haud necessario sequitur, eos, qui religione dicti Salvatoris, ab *Apostolo Jacobo* repetiti, ligati sunt in conscientia sua, quamdiu hoc vinculum durat, cogendos ad juramenti solennis præstationem, si sponte sua nolint. Rationes sunt in promptu. In universum non licet cuiquam imperare aliquid contra conscientiam, sive ea sit recta, sive erronea. Negari etiam nequit, frequentem abusum juramentorum, sive privatorum, sive publicorum, justam & speciosam occasionem præbere de iis conquerendi, eos vero, qui jam antea sibi persuadent, Christum Dominum ad istos abusus radicitus & uno ictu tollendos ipsum juramentum maluisse sapientissime prohibere, eo efficacius inde confirmari. Videntur etiam exempla prostare satis copiosa subditorum, unde pateat, nihil hos scrupulos prudenter directos & temperatos in summa rei securitati & saluti Reipublicæ nocere. Compensatur quoque defectus juramenti formularii, a quo præcipue abhorrerent solent, per actus analogos, qui parum absunt ab juramento, præterquam quod se offerunt ad pœnas perjuratorum, si fidem datam fefellerint, quod juramento ordinario admodum affine & analogum est. Non deficiunt quidem objectiones varii generis adversus hanc dispensationem, e. g. sufficere, quod licitum sit juramentum, ad id, ut omnes possint obligari.

Scrupulos esse deponendos, non fovendos, neque vere obligare conscientiam erroneam. Non posse dispensari propter alios. Præjudicium pati jura Magistratus. Nec semper exploratum esse, an vere subsit religiositas? num vero prætextus malitiosus vel inanis? Sed nec desunt, quæ hic fas sit ultra attendere. Non sufficere videtur, quod in se juramentum sit licitum: sed etiam de eo convictum oportet esse licito, qui jurare velit, nisi velit in necessitatem peccandi incidere. Utique bonum est a scrupulis, maxime in re gravi, liberari, sed media coactiva huic fini consequendo apta non esse constat. Interim quam diu urget & durat scrupulus, vim suam retinet & impunitatem coram hominibus, maxime in re non absolute necessaria. Quamvis exceptio aliqua in his casibus suis non careat incommodis (quæ supra non dissimulavimus) majores tamen hic rationes ob stare videntur, ne nulla plane diversitatis subjectorum habeatur ratio. Nullum quoque dubium est, efficere posse sapientes & justos Magistratus, ut nihil suis juribus, suæque auctoritati, propterea decedat, & ut ex altera parte compensetur, quod ex una defecisse videbatur. Justissima insuper est eorum, de quibus hic agitur, exploratio, & tentatio convictionis præviæ per argumenta idonea: quod si factum fuerit, id, quod necesse est heic scire, non adeo difficile erit intelligere. *Secundo* multa ad lenienda juramenti cujuscunque odia Magistratus ipse conferre potest, quamvis nonnulla altius etiam repetenda sint remedia. In rectis & prudentibus juramenti publici regulis atque limitibus constituendis forte non adeo difficile esset laborare cum fructu, nisi & hoc loco valuisset illud *Apostoli*, sicut in omni consilio & bono promovendo: *καὶ ἐνεκοφεν ἡμῖς ὁ Σαῦλος* 1 *Thess. II. 18*. Quod vero ad privatos abusus & vicia hujus rei attinet in pejerationibus & execrationibus vulgaribus, quibus degeneres Christiani per traditionem *παλιγοραδοῦ* practicam & consuetudinem execrabilem se adsuefaciunt, id quidem pariter legitimum censuræ divinæ & humanæ objectum est. Quo jure autem inde tantum ipsi juramento odium accrescere debeat? non apparet. Non existimo, detestabilem illam assumendi nomen Domini in vanum consuetudinem in privata vita occurrentem originem suam accepisse ex ipsa questione: An juramentum sit licitum? Etiam si hoc credant licere, norunt tamen ut digitos suos, pejerationes suas ad malam classem pertinere, imo illas in præcepto

cepto Decalogi secundo interdictas esse, theoretice non dubitant. Si hujusmodi pejeratores se velint ad Dominum convertere, tunc illis non opus erit ad hunc finem transire in opinionem illiciti in N. T. juramenti omnis, sed, hoc salvo, possunt habitus illos & actus pejerandi deponere, neque enim ista juramentorum excrementa cum juramentis ipsis pari loco habere convenit, si vel de solis gradibus sit quaestio. Certum interim est, si omnibus his vitiis publicis privatisque diligentiori inspectione, censura accurata, emendatione Ecclesiarum solida, mediisque eo pertinentibus obviam iretur, ut par est, controversiam illam generalem de juramenti legitimis magna parte sui odii invidiaeque levatum iri. *Tertio* ad eundem scopum procul dubio non esset inutile, si Viri docti omnium ordinum in explicanda hac doctrina magis consentirent, si jus Naturæ tantisper omitterent in ea quaestione, qua id potissimum inquiritur, an Christus juramenta prohibuerit? si asseverationes & obtestationes graviores cum provocatione ad Deum conjunctas nollent a substantia juramenti absolvi: si haud negarent, suo sensu juramenta cultum Dei, & partem illius, nominari posse: si denique non adversarentur dicentibus, quod ex juramento nova & distincta oriatur jurantis obligatio præter eam, quæ ex ipsa promissione vel assertionem consequitur. Plura jam non addimus exempla. *Primum*, quod diximus, verum esse, nemo temere inficiabitur, qui vel *Principes* heic *Autores* legerit. Horum dissensus ex diversis principiis accessoriis natus, ipsi deinde causæ damnnum infert apud imperitos & præoccupatos. Deinde licet quidem inquirere ex Jure, quod vocant, Naturæ, an id admittat jusjurandum? Hoc principium cognoscendi autem non valde curabunt *Dissentientes*, qui de præcepto Christi unice solliciti sunt, idque, quod aliquando licuit sub natura & lege, ob justas, ut arbitrantur, causas abrogatum esse censent. Obtestationes graviores cum provocatione ad Deum testem & vindicem vera esse juramenta, supra ostendimus, neque tantum est concedendum (quod ipsi vehementer vellent) dissentientibus, ut hoc ipsis negare liceat. Imo vero mutandæ essent definitiones omnes hucusque receptæ jurisjurandi, in sua substantia considerati. Rationes hujus consilii non videntur pure fluere. Videretur etiam velificari adversariis hypothesis, quod jusjurandum non possit ad cultum Dei referri, nisi credibile esset, totam
illam

illam controversiam esse log
 versæ sua sponte corrui. •
 soluta & perpetua, atque offi
 nonnisi in certo statu & ordin
 mus, quam & olim in nos
publicis copiosius tractavimus
 tus & religio est jusjurandum
 fini, interposito Dei nomine, j
 altera illa odiosa subtilitate,
 étrinam de juramento introd
 vel obligationis gradum, dene
 Juramenti, cur ergo non acqu
 plex promissio vel assertio se
 juramentum, si nihil ultra mo
 va obligatione Pontificii ; Id
 sit abusus ; usus vero ipse reti
 Theologos & Philosophos not
 tiam malo animo a Clero dic
 jori jure, siquidem liberet par
 riæ sententiæ patronos eam h
 nus adhuc honorificum est.
 specialem juramenti illiciti ne
 dii causa ad Ven. quondam C
obligationis jurijurando propria
 de juramento in N. T. nequa
 pedit, quo minus omnes Chr
 duce illius Spiritu, enitantur
 conscientiæ statum, in quo, q
 rata fide opus non esset. Si n
 bis Christi, nulla sane cum i
 sanctissimum hoc medium rei
 plus requiritur quam traditi
 borum Domini in litera secu
 quem etiam quivis ma
 felicitate

esse logomachicam, quæ recte posito statu contro-
 rruit. • Si distinguimus inter officia erga Deum ab-
 soluta & officia erga Deum hypothetica, & relativa, quæ
 absolute & ordine Deo præstantur, hanc litem facile expedie-
 mus in nostris ad *Historiam Evangelicam prælectionibus*
 tractavimus. Quod si vero ne illo quidem in statu cul-
 turandum, recte dicent adversarii, cui ergo bono &
 nomine, jurare soleant Christiani? Idem dicimus de
 utilitate, quam PUFENDORFIUS præcipue in do-
 cumento introduxit, novam ipsi & distinctam obligationem,
 nonnullam, denegando. Hic iterum objicere possent osores
 non acquiescant homines in ea obligatione, quam sim-
 pliciter assertio secum venit? cui bono igitur huic addant
 aliquid ultra movet aut efficit? Sint abusi hypothese de no-
 minis officii; Id ergo inde consequitur, ut eorum tollendus
 non ipse retinendus erit. Nimis etiam durum est, eos
 philosophos nostros accusare propterea, quod hanc senten-
 tiam Clero didicerint Pontificio retinuerintque, cum ma-
 gis liberet par pari referre, regeri possit, primos contra-
 rios eam hausisse ex lacunis *Hobbessi*, quod ipsis mi-
 nucum est. Applicationi hujus hypotheseos ad casum
 iuris illiciti nos jam non miscebimus, nisi quod compen-
 sationem Collegæ, Prof. ROESLERI b. m. *Vindicias*
do propriae nostros nunc remittamus. Denique nostra
 sententia. T. nequaquam absolute prohibito prorsus non im-
 munes Christiani secundum leges Salvatoris nostri, &
 continentur ad eum veracitatis, fidelitatis, & puritatis
 in quo, quantum in ipsis est, & propter se ipsos, ju-
 rasset. Si nihil aliud prætenderent *Dissentientes* ex ver-
 itate cum ipsis hac de re esset controversia. Ut vero
 medium re ipsa obtineat inter Christianos, ad id ipsum
 eam traditionaria receptio & propagatio sensus ver-
 itatis litera secundum hunc tenorem intellecti, utpote in
 quibus quis malus & hypocrita possit non minore
 felicitate & facilitate incidere.

TANTUM,